

8  
963

Amorab.

Dispositum


ad

Ms

T. 0.246.



001/11



NICOLAI  
PALLADII COMMOS

NEFACTIO DE VERA INVO  
CATIONE DEI, ET DE  
VITANDIS IDOLIS.

DEUTERO. VI.

DOMINVM DEVM *tuum adoras*  
*bis, & ipsi soli seruias.*



VVITEBERGAE EXCVDEBANT  
HAEREDES PETRI  
SEITZII.

ANNO 1557.

NICOLAUS

PALLADIUM COMMUNE

TRACTATUS DE VERA INVO

CATIONE DEI ET DE

VITANDIS IDOLIS

DETERRO VI

DOMINUM DEUM IN OMNIBUS

et in ipso semper



WITTEBERGAE EXCUSDENT

HABERES PETRI

SEITEN

ANNO 1557



REVEREN  
DO VIRO, ERVDI  
TIONE ET VIRTUTE PRAE  
STANTI, D. NICOLAO PAL  
LADIO DANO, PHILIP  
PVS MELANTHON  
S. D.



RATA EST DEO  
pietas tua, quòd scuerè  
taxas Idolorum adoratio  
nes, & monstras ueri Dei,  
& Domini nostri Iesu  
Christi inuocationem, Si  
cut scriptum est: DOMI  
NUM DEVM tuum  
adorabis, & ipsi soli seruies. Vt autem præceptum  
est Euangelij Ministris, ut uoce doctrinæ animos  
hominum ab Idolis abducant, cum quidem non sint  
armati ferro & exercitibus: ita politicis Magistras  
tibus seuerissimè mandatum est, ut suo quisq; loco  
manibus & armis tollant Statuas, ad quas fiunt  
hominum concursus & inuocationes, & puniant  
supplicijs corporum insanabiles, qui Idolorum  
cultū pertinaciter retinent, aut blasphemias serunt.  
Est enim Magistratus custos totius Legis in extera  
na discis

## P R A E F A T I O.

na disciplina, uidelicet, primæ & secundæ tabulæ Decalogi. Ac de dignitate & officio Magistratus multum detrahunt, qui dicunt, Magistratum uelut armentarium, tantum corpora & uentres populi curare debere, id est, tantum horum præceptorum custodem esse: Non occides, & Non furaberis. Imo sciat Magistratus, se diuinitus præpositum esse cæteris hominibus, ut sonet præcipuè uocem Legis diuinæ de Deo, & de uinculis humanæ societatis, & ostendat discrimen Iusticiæ & Iniusticiæ, primum uoce, deinde & factis: tollat è medio reos scelerum, & protegat iustos: sit acer & ardens zelo in tollendis insanabilibus, & fortis ac uigilans in protegendis obedientibus, & paterna <sup>σοφῶν</sup> adficiatur misericordia erga hanc imbecillio-riorem partem generis humani, uidelicet modestam, & eam suauiter foueat. Ideo in Psalmo dictum est: Ego dixi, DII estis, id est, uicem Dei sustinentes inter homines, & munera diuina exhibentes, sapientiam, agnitionem Dei, discrimen uirtutum & uiciorum, & Iusticiæ defensionem, ac pacem. Qui maior honos cogitari potest, quam nominari DEOS, id est, organa & uicarios Dei esse?

Attribuit enim Deus hanc honorificam appellationem gubernatoribus, non ut sit inanis titulus, sed ut reuera sint organa Dei, uoce ipsorum sonantis



PRÆFATIO.

sonantis legem suam, & manu eorum destruentis  
 sceleratos, & fouentis obedientes. Idem dicit sapi-  
 entia Dei apud Salomonem: Per ME Reges reg-  
 nant, & Principes iusta constituunt. Hæc sapi-  
 entia non est tantum uentris sagina, sed est mon-  
 stratrix ueri Dei, Postea docet fouendam esse ho-  
 minum societatem, ut in ea Deus sese hominibus  
 communicet. Fuerunt igitur iusti & grati Deo la-  
 bores Iosua, Iosaphat, Ezechia, Iosia, Constanti-  
 ni, Theodosij, & multorum aliorum piorum Re-  
 gum & Principum, qui populo monstraerunt  
 ueri Dei inuocationem, & ardentis zelo fortiter  
 deleuerunt Statuas, ad quas falsæ inuocationes fie-  
 bant. In talium Regum honestissimo choro etiam  
 uester Rex, Christianus, in illa cœlesti Ecclesia in  
 tota æternitate & letus Deo gratiasaget, & à pijs  
 omnibus, ac præcipuè à uestris Ecclesijs, celebrabis-  
 tur. Quare ut tua adhortatio in hoc scripto allo-  
 quitur pios doctores, ita uelim etiam quolibet loco  
 Magistratus de suo officio commonefieri. Et Filium  
 Dei, Dominum nostrum Iesum Christum,  
 crucifixum pro nobis & resuscitatum, toto pecto-  
 re oro, ut in multis gubernatoribus accendat, pri-  
 mum ueræ doctrinæ lucem, demde iustam indig-  
 nationem, & magnas flammæ zeli non errantis.

Est in quibusdam uoluntas rectè faciendi,  
 sed offundunt eorum oculis ac mentibus præstigijs



## PRAEFATIO.

Empusæ Sophisticæ, ne ueritatem cernant & amplectantur. Hanc magnam calamitatem generis humani omnes pij ingenti dolore deplorant, qui quidem etiam assiduis uotis precantur Deum, ut propter filium sanet aliquos, & ut hostes ueritatis reprimat, qui sicut Anteus Neptuno templum condidit ex cranijs interfectorum hospitem, ita isti furiosi & crudeles maestatione piorum Deo sacrificare uideri uolunt. Interea, ô rem miseram, nos ipsi dimicamus inter nos, uelut Cadmei fratres, cum, si qua oriretur controuersia, pia dijudicatione tolli errata deberent, & sanabilium uoluntates rursus coniungi. Sunt igitur confusiones horribiles undiq; quarum consideratio pijs ingentem dolorem adfert, gubernatores uerò exuscitare deberet ad curam sanandi nostrarum Ecclesiarum uulnera. In tanta infirmitate hominum, deinde in hac ἀναρχία horum temporum, postremo & in his delirijs ultimæ senectæ mundi, ne fieri quidem potest, quin discordiæ oriantur, Sed Deus uult sapientes gubernatores coercere ingeniorum petulantiam, & egroto corpori mederi. Ac præcipue curandum esset, ut in nostris Ecclesijs coniuncti essent doctores contra communes hostes, ut conspici consensus piorum, & confirmare multos posset. Vagatur iam in Mindensi uicinia Thammeus, qui scripta blasphema edidit, quem hostes  
Euanges

## PRÆFATIO.

Euangelij tantum ideo complectuntur, quia rabiosus  
se maledicit Lutheranis, cum palam Ethnicas &  
blasphemias opiniones in publicis scriptis ediderit.  
Et passim Rhetores Papistici magna uolumina,  
tanquam fulmina, contra Ecclesias nostras emittunt,  
quibus opponi refutationes à pluribus utile  
esset, καὶ συμφερτὴ ἀρετὴ κρείσσων. Oro igitur  
Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum,  
erucifixum pro nobis, & resuscitatum, uerè colligentem  
eternam Ecclesiam in genere humano uoce  
Euangelij, ut faciat, ut omnes docentes in  
nostris Ecclesijs in ipso unum simus.

Data Calendis Februarij,

Anno 1557.



A 4 NICO

# NICOLAI PALLADII COMMOS

NEFACTIO DE VERA INVO  
CATIONE DEI, ET DE  
VITANDIS IDOLIS.



ON SINE GRAVI  
animi dolore magnam  
multitudinem impiarum  
Statuarum & imaginum,  
in his Templis conspexi,  
quæ uarijs modis ab ignas  
uis hominibus (non aliter  
hactenus uerbo Dei infor  
matis) coluntur, & uerum Dei cultum & hono  
rem impediunt. Nam (teste ipso Christo Matth. 6.)  
Nemo potest duobus Dominis seruire. Neq; cons  
ueniunt in uno templo Christus & Belial. 2. Cor.  
6. Et Deus per Prophetam negat, se alteri suam  
gloriam daturum esse. Præterea hi idolatrici cul  
tus à Satana & Papistis excogitati ex diametro  
pugnant contra omnium Prophetarum & Aposto  
lorum doctrinam, contra uocem diuinæ Maiestatis  
in primo Decalogi præcepto, & à uero & uiuo  
Deo corda hominum auocant, ne ei soli omnipo  
tenti

## DE INVOCAT. VERI DEI,

tenti adherent, & ne ipsum solum inuocent & colant.

Idcirco ratione officij mei adductus non potui non admonere Ecclesiarum pastores, ut in omnibus concionibus serio populum ab huiusmodi Satanicis cultibus dehortentur, ex quo manifestè uident maximam partem auditorũ adhuc, in hac clara Euangelij luce, esse in colendis imaginibus dementatam. Id diligenter faciant, Primum, ut proprias conscientias hac in re liberare possint. Deinde, ne simplicioribus occasionem damnationis præbeant. Sunt enim (teste Ezechiele) omnes uerbi ministri à Deo speculatores constituti: Nisi impio dixerint, & monuerint eum serio, ut conuertatur à uia sua mala, sanguinem de manu Ministri requiret. Item: Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter. Vnde manifestè constat, affectatam negligentiam, oscitantiam & infidelitatem, in ministro Verbi mortale peccatum esse. Necessè est illos Ministros Ecclesiarum manere grauissimas pœnas, qui horrendas idolatrias in suis Templis sua taciturnitate, non solum manere permittunt, sed quidam etiam propter impium quæstum stabilire conantur, quem admodum sub Papatu muti sacerdotes muta idola, in contumeliam Dei, & sibi ipsis in lucrum, erexerunt. Nonnulli quoq; tales abominationes & imposturas raro, aut nunquam, uel saltem leuiter res

## DE INVOCAT. VERI DEI

prehendunt, ne odia hominum sibi concilient, aut sibi periculum aliquod suæ uitæ tandem accersant.

Quoniam uerò harum prouinciarum agres-  
tes homines in magnis erroribus ignorantia, inq̄;  
summa rerum omnium, ad Dei cultum & ueritas-  
tem religionis spectantium, inscitia, adhuc tan-  
quam Cyclopes & Epicurei uersantur, in hoc præ-  
cipuè operam dabunt Ecclesiæ Ministri in Pagis,  
ut Elementa pietatis, & quasi incunabula doctri-  
næ Christianæ (Catechismum puto) auribus atq̄;  
animis ipsorum quàm possunt diligentissimè incul-  
cent. Et quoniam tardiora sunt rusticana ingenia,  
crebrò atq̄; identidem eadem repetant, ac ne facile  
excidant, iterum atq̄; iterum insigant. Idem ille Cas-  
techismi libellus in multis locis apud exteras natio-  
nes, etiam alibi in hoc toto Regno, ingentia mira-  
cula fecit, eo quod populus in hac prima institutio-  
ne de uero cultu Dei restituendo, & idolomanijs  
abrogandis rectè informatus sit.

Miror quare in his Ecclesijs, in hac clara  
Euangelij luce impia statua & imagines adhuc  
in tanto honore habeantur. Docetur nunc (Dei  
beneficio) in nostris Templis purum uerbum  
Dei, quod damnat omnem templorum ornatum,  
qui doctrinæ cœlesti repugnat, & Christi fidelibus  
offens

## ET VITANDIS IDOLIS.

offendiculo esse potest. Verus autem ornatus templorum Christianorum est ipsum sanctissimum uerbi diuini ministerium, & usus Sacramentorum ac piæ Ceremoniæ, quibus se adiungunt, non trunci, ligneus nasus uel oculus, pictæ & fictæ facies: Sed uiuæ imagines, quæ se uertunt ad suggestum, nunc ad Aram, nunc flexis genibus inuocant Deum nunc sedent audientes uerbum, nunc stant hymnis celebrantes Deum, & hoc modo transformantur de die in diem ad imaginem Dei, ut Apostolus ait.

Vt igitur præstigiæ ac laruæ Diabolicæ, in cordibus hominum abominabiles reddantur, easq; tanquam æternum interitum fugiant ac detestentur, & unicum uerum ac uiuum Deum (qui se ac suam uoluntatem uiua uoce generi humano patefecit) inuocare, colere, glorificare, eiq; soli confidere discant, omnes Ecclesiarum uestrarum Pastores, propter gloriam Dei hominumq; salutem rogo, & pro officij mei ratione etiam iubeo, ut nunquam posthac primi præcepti appendicem: Non facies tibi sculptile neq; ullam imaginem &c. pro concione in eiusdem præcepti declaratione negligat, Sed quanta possunt uehementia cõtra monstrosas illas statuas et laruas cascæmonũ se opponant, quæ ad se à uero Deo mentes hominum auocant, & captiuas tenent: ut Deo  
spreto

## DE INVOCAT. VERI DEI,

spreto & neglecto muta & inefficacia simulacra colant, & diuinis honoribus afficiant. Nunquam in recitatione & explicatione Catechismi deberet huius appendicis declaratio sic negligi, quemadmodum hodie passim negligitur, uel saltem frigidè (si non omnino præteritur) attingitur, perinde, ac si non esset una pars Decalogi, nec digna quæ recitaretur & explicaretur. Et interim uidemus imagines & statuas non tantum simplicioribus esse admirationi, sed etiam à multis (ut proh dolor in his templis cernere licet) inuocari, adorari, coli candelis, oblationibus, uestibus, genucationibus, prostrationibus, circuitionibus, & alijs gesticulationibus, quod quàm horrendum sit in conspectu Dei & sanctorum Angelorum, norunt omnes ueri Dei cultores, in hac clara Euangelij luce.

Et tametsi quidam uerbo Dei informati, non colunt imagines templorum, tamen indoctis & rudioribus sunt occasio idolatriæ & defectionis à Deo. Horum ratio maxime esset habenda, ne nostris picturis & imaginibus eorum salutem in æternam perderemus. Horribilis est & Diabolica audacia, quòd creatura Dei rationalis contra expressam prohibitionem creatoris (Non facies tibi sculptile neq; imaginem &c.) contumaciter audet facere utrunq; etiam in templis Christianis, quæ iam non  
erigunt



## ET VITANDIS IDOLIS.

eriguntur & reparantur propter statuas aut pictas imagines, sed propter uerum cultum Dei conseruandum, & propagandum. Nam prorsus nihil profunt uel doctoribus, uel auditoribus, sed ueræ doctrinæ dedecori sunt, salutare cogitationes impediunt. Nullum igitur bonum usum in Ecclesia habent, teste Esaia, cap. 44. Si libri Laicorum sunt (ut quidam uolunt) mancant in libris & in domibus extra publicum Christianorum templum, ubi nequaquam ferendæ sunt, ne homines paulatim his imposturis à uerbo Dei & ueris cultibus rursus abducantur.

Sciunt enim eruditi Ecclesiarum ministri, Deum in Decalogo, & ex Decalogo per totam sacram scripturam, seriò prohibere, primum ne ullus mortalium faciat aut fieri curet sculptilia, simulacra, imagines cœlestium, terrestrium, & infernalium creaturarum, quocunq; nomine uocari queant. Secundò, ne statuæ ab hominibus adorentur, honore afficiantur, uel ullis cultibus colantur. Est enim hæc idolatria, in ignorantibus error, in pertinacibus hæresis, & in defensoribus aperta impietas & exitium, scilicet propter occasionem damnationis, quam simplicioribus præbent.

Duobus enim modis peccant homines contra primam tabulam Legis diuinæ. Primum peccant  
ἀθεοί

## DE INVOCAT. VERI DEI

æthedi, ut Cyclopes & Epicurei, in hoc quòd prorsus Deum esse negant, & ideo non glorificant eum, non metuunt, non credunt, non inuocant eum, &c. non tribuunt ei gloriam potentiae, bonitatis, iustitiae, &c. Et profectò non exigua multitudo talium Cyclopum in multis locis est, qui beluino more sine ullo uerbo & timore Dei per totam etatem uiuunt. Multi inueniuntur, qui per integrum annum uix unam concionem audiunt, quidam per omnem uitam bis tantum templum uisitant, uidelicet quando primùm deferuntur ad Baptismum, secundo ad tumulum.

Alij uerò peccatores contra primam tabulam sunt idolatrae, qui honorem Deo debitum transferunt ad creaturas coelestes, aut terrestres, uisibiles aut inuisibiles, ut sub Papatu multipliciter tribuebant diuinos honores, inuocationem & fiduciam ei, quod non erat Deus, & sine uerbo, adeoq; contra uerbum & mandatum Dei, alligauerunt ipsum ad sculptilia & imagines, docentes ipsum magis apud hanc, quàm apud aliam statuam, effisacem esse.

Quantus quæso concursus more gentium hactenus fuerat ad statuas S. Magni in Thorrom, ad S. crucem in Edenstet. oc till det hellige Losen in  
Parochia

## ET VITANDIS IDOLIS.

Parochia Losen? Quot sunt qui adhuc in honorem  
& laudem beatæ uirginis coram eius statua multas  
candelas incendunt? quiq; ad eam in necessitate  
qualicunq; pro auxilio clamant, eiq; munera offe-  
runt? Item adhuc omnes in quibusdam Parochijs  
fere uiri ac mulieres rosaria gestant, & non desi-  
nunt abuti angelica salutatione, ac semper in ore  
habent, Gudts lon oc Merilon &c. Nonne hæc est  
horrenda idolatria, tribuere diuinitatem, omnipo-  
tentiam & honorem Deo debitum, ei quod non est  
Deus? pro uero Deo inuocare & colere mutam  
& mortuam statuam, quæ seipsam loco mouere ne-  
quit, aut à furibus aut muribus seipsam liberare  
non potest?

Nullum est peccatum grauius, & in con-  
spectu Dei magis detestandum, quam derelin-  
quere Deum conditorem, & se ab eo auertere, &  
seruire Dijs alienis, ac erigere statuas & imagines  
contra mandatum Dei, in lucis, uallibus, monti-  
bus, & templis Christianis, & alligare Deum, ad  
ullam rem, aut ullum locum, ad quem ipsemet ex-  
presso mandato se non alligauit. Nam idolum fit,  
quando homines à uero Deo abalienatione animi  
recedunt, & illo spreto noua ficta et facticia numi-  
na, uel mente uel manibus fabricare student, quibus  
diuini honores impediuntur, siue id fiat errantis  
rationis

DE INVOCAT. VERI DEI

rationis falsa opinione, siue graui cordis auersione à Deo, siue externæ reuerentiæ exhibitione, siue quouis alio modo fiat.

MULTIS ETENIM MODIS IDOLATRIÆ impietas perpetratur.

I. Primum si fingatur aut otiosus aut iniustus, aut ullo modo alius esse Deus, quàm sit, quamq; se esse in speculo creaturarum, & reuelatis scripturæ oraculis ostendit.

II. Secundo, aut si quomodocunq; cognitus fictis & falsis cultibus, & diuinitate indignis honoribus, colatur.

III. Tertio, aut si diuinitatis nomine, seu honore colitur id quod reuera Deus non est, siue res quantumuis excellens sit, siue rei species qualiscunq;.

IIII. Quarto, aut si inuisibilis atq; incomprehensibilis æterni Dei maiestas alligetur sacrilego errore, rebus quibuscunq; sensibilibus, aut earum imaginibus, seu simulacris ad quamcunq; formam effictis, & tanquam his conclusa & comprehensa adoretur &c.

Maxima profecto ignominia & contumelia afficitur Deus, quando homines contra ipsius mandatum existimant eum simulacrorum cultibus & his uanissimis rebus delectari, & similem ipsum ac suos

## ET VITANDIS IDOLIS.

suos sanctos (qui iam in caelis cum ipso uiuunt) faciunt sordidae creaturae, ex qua imaginem ipsorum fingunt.

Item, dum diuinae maiestatis nomen & honores, & Deum incorruptibilem, atq; infigurabilem figuris ac rebus corruptibilibus concludere, exprimere, & representare praesumunt.

Item, dum loco inuisibilis atq; immortalis Dei, hominum aut aliarum rerum quarumcunq; simulacra ac similitudines impie uenerantur. Et in locum Dei contempti abominanda portenta coluntur.

Item, dum homines diuinitatis dotes ac proprietates uero Deo detrahunt, & idolis ac simulacris assignant (quae neglecto Deo) colunt ac uenerantur: quo horrendo sacrilegio nihil atrocius ab hominibus cogitari potest?

Quam quaeeso stultum & nepharium est, ac horrendum in conspectu Dei & Angelorum, pingere aut fabricare Deum patrem grandaeuum, senem, lippis oculis, canum, tenentem filium crucifixum, cruentum, & habentem apud se Columbam? Nunquid talis est noster Deus, cuius sedes caelum est, & terra scabellum pedum eius? Quid potest humanum ingenium excogitare aut fingere, quod uel Deo simile sit, uel eternam ipsius diuinitatem, gloriam, sapientiam, omnipotentiam, summa

B

mana

## DE INVOCAT. VERI DEI,

nam bonitatem, ueritatem, sanctitatem, iusticiam, gratiam & misericordiam, exprimere possit? Quod si quisquam facere tentauerit, is summam & inexpiabilem Diuinae Maiestati iniuriam faciet, dum ipsum longè alium, quàm sit, effingere præsumit. Est ne quoq; horribile scelus, loco Filij Dei resuscitati, uiuentis, & sedentis ad dexteram æterni Patris, adorare, inuocare ac colere ligneam ac mortuam statuam, ad imaginem Christi crucifixi figuratam? Et sic statuere, Christum alligasse se mortuo trunco, & apud illum magis exaudire inuocantes, quàm alibi.

Quidam Monachi ante aliquot annos, non erant contenti mortua figura Christi pendentis in cruce, Sed scribebant ad quendam mirabilem Artificem, ut faceret eis uiuum crucifixum. Cui respondit, Si uiuum fecero, fortassis à nouo interficietis. Tandem precibus & magnis muneribus adductus, fecit crucifixum quasi uiuacem, caput in cruce mobile, oculos & labia mobilia &c. Hanc imaginem Christi crucifixi in suo templo super ianuam chori collocauerunt, & illa magnam multitudinem hominum longo tempore deceperunt. Quoties enim magna hominum turba conflueret ad uidendam & adorandam statuam, quidam Monachus à tergo stans traxit funiculum,

quo

## ET VITANDIS IDOLIS.

quo auertebat caput idoli, quasi nollet illos respicere & exaudire, unde fiebat magna animorum consternatio. Statim clamauit Monachus (inquiens) date, offerte opulenter nobis miseris fratribus, tunc rursus conuertet ad uos placidum uultum. Tunc cœperunt homines offerre munera ad Aram. Et interea Monachus traxit alium funiculum, quo conuertit caput idoli ad populum, acsi se donis placari significasset. Tandem idolum proditum est, & Monasterium destructum. Hæc est uera historia.

O quanta patientia Dei, qui spectator fuit huius detestandæ abominationis. Sic Antichristiani sacrilegi, Deo patri & filio suo unigenito, sibi debita gloria spoliauerunt, in hoc quòd mutis & inanimatis rebus, aut uanis hominum figmentis, ipsum impia temeritate alligauerunt & assimilauerunt. Et inueniuntur adhuc (proh dolor) in hac clara Euangelij luce, talium impiarum statuarum & imaginum patroni ac defensores, qui palàm pietatem simulant, & interea clam non tam seipsos perducunt, quàm simplicium corda seducunt. Tales manifestè declarant se idolorum cultores: Et quòd idola ipsi Deo æquiparant, uel anteferunt, & conantur æternæ diuinitatis gloriam sculptilibus, & simulachris quibuscunq; representare, in hoc, quòd à nouo Templo Christianorum his idolis prophæ-

## DE INVOCAT. VERI DEI,

mare student: Et quòd indignè ferunt, quando impie imagines, iuxta mandatum Dei, destruuntur aut delentur. Ita pictas & fictas imagines extollunt & magnificiunt, & interim negligunt ueram & naturalem imaginem Dei, scilicet Christum Mediatorem, uidelicet, in eum non credendo, & proximum quoq; contemnunt, ad imaginem Dei creatum, non eum diligendo, &c. Delectantur mortuis imaginibus, & uiuas ac ueras imagines contemnunt.

Cum igitur quidam adhuc inueniuntur statuarum defensores, illi post unam atq; alteram admonitionem, relinquendi & execrandi sunt, tanquam anathemata, iuxta illud Pauli: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit, id est, ducatur maledictus, & diuino iudicio ab Ecclesia exclusus, & fugiendus, ne contagium polluat ceteros, ut in Psalmo dicitur: Induit maledictionem sicut uestimentum. Non expeto istius hominis amicitiam, qui mecum Deo amicus esse nolit, ut Dauid ait: Perfecto odio oderam eos, Item: Iniquos odio habui, & Legem tuam dilexi. Meq; aduersus statuarum defensoris execrationes uoce Psalmi consolor: Maledicent illi, & tu benedices. Certissimum est ex uerbo Dei, quòd sicuti Christus nullum cum Belial commercium habet, sic nullum in suo Regno  
idolis



## ET VITANDIS IDOLIS.

idolis locum permittit. Sed ipsemet breui claritate  
sui aduentus, omnes statuas & imagines, igne tem-  
porali in pulueres rediget. Et tunc idolorum cula-  
toribus ac statuarum patronis malè erit in æternis  
ignibus, ubi uermis eorum nunquam morietur.  
Nam pij in extremo die iudicabunt ipsos etiam ma-  
los Angelos, nedum istos Hypocritas, & impio-  
rum statuarum cultores & patronos.

Agant igitur in primis poenitentiam, & ex  
uerbo Deum rectè colere & inuocare discant,  
iuxta illud: Lucerna pedibus meis uerbum tuum.  
Item: Cauete uobis ab idolis. Inuocent Deum, ut  
per Filium suum eos ex impietate, cæcitate & erro-  
ribus liberet. Si autem ex Diabolica pertinacia  
perrexerint in impietate, & contemptu uerbi, &  
statuas & imagines contra uoluntatem Dei eri-  
gere ac defendere conantur, maiori cæcitate &  
amentia punientur. Deinde in futuro seculo abij-  
cientur à Deo in æternos cruciatus. Et pios Ec-  
clesiarum Pastores adhortor, ut à talium impio-  
rum hominum consortio externa professione se  
seiungant, ac post hunc diem summam adhibeant  
diligentiam in deprædicanda cordium idolatria,  
& taxandis impijs cultibus, nec appendix primi  
præcepti unquam somnolenter & frigide præteriri  
debet. Idq; eos rogo & obtestor per gloriam Dei

DE INVOCAT. VERI DEI,

Et salutem gregis ipsis commissi, de quo ratio eis reddenda erit in illo die, quo sistemur omnes coram tribunali Christi.

Vt autem Parochi ex cœlesti doctrina (cui homines sub pœna æternæ damnationis obtemperare oportet) impias statuas & imagines animosè reprehendere & damnare possint, subscribam hic aliquot locos, quibus ipse Deus deridet, confundit, ac pudefacit statuas & earum cultores, ne sua contagione ueram Ecclesiam inficiant. Addam quoq; pauca quædam exempla & dicta sanctorum hominum, qui imagines in templis ferre non potuerunt.

Exod. 20.

Non facies tibi sculptile, neq; ullam similitudinem, &c.

Esaie 42.

Confundantur confusione, qui confidunt in sculptili, & qui dicunt conflatili: uos Dij estis.

Esaie 46.

Cui effigiatis aut similatis me? atq; similem facitis? effundunt ex marsupio aurum, & appendent in lance argentum, quod dant Aurifabro, ut inde Deum faciat, ante quem genua flectant, & adorent, eleuant eum in humeris, & gestant eum, & rursus collocant eum in locum suum.

Ibi stat,

ET VITANDIS IDOLIS.

Ibi stat, nec de loco suo recedit. Si quis clamat ad eum, tunc nihil respondet, neq; liberat clamantem ex necessitate.

Ierem. 10.

Exciditur in saltu arbor, & artifex efformat Deos bipenni, ornatq; eos auro & argento, affigit eos clavis & malleis, ne decidant. Nihil sunt nisi statuæ ornatae. Non loquuntur. Portantur, quia incedere non ualent. Item: Pariter omnes uani & insipientes sunt, lignum procul dubio uanus cultus est. Item: Omnis artifex confunditur per sculptilia sua, quia falsitas sunt idola ipsorum, & non est spiritus in eis.

Baruch 6.

Lege totam Epistolam ad finem capituli & libri, & accomoda ad praesentes imagines & statuas in Templis, tum uidebis omnia conuenire, &c.

Ezech. 6.

Etiam hinc lege totum caput, & iudicet quilibet pius, an non omnia conueniant cum ijs locis in Germania, Dania & alibi, ad quæ fiebat concursus populi.

Ezech. 16.

Accepisti uasa magnificentiae tuae de auro & argento meo, & fecisti tibi imagines masculinas, & fornicata es cum eis, &c.

B 4 Abac.

DE INVOCAT. VERI DEI,

Abac. 2.

Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud  
fictor suus, conflatile ad imaginem falsam.

Psal. 97.

Confundantur omnes qui seruiunt sculptilibus,  
Ec.

Psal. 115.

Simulacra Gentium sunt argentum & aurum,  
Ec. Os habent, Ec.

Sapientie 14.

Integram historiam inuenies de idolis, &  
unde principium nata sint.

Rom. 1.

Immutauerunt gloriam incorruptibilis Dei,  
Ec.

1. Cor. 8.

Scimus quòd nihil est idolum in mundo, Ec.  
Item, 10. cap: Charissimi fugite ab idolorum cultura.

1. Iohan. 5.

Filioli, caute uobis à simulacris.

Hec & similia semper essent inculcanda pro  
concione, ut homines à mortuis imaginibus se  
auerterent, & conuerterent se ad uerum & uiuum  
Deum, conditorem coeli & terra, & patrem Domini  
nostri Iesu Christi.

EXEM

DE VITANDIS IDOLIS.

EXEMPLA QVOQVE SANCTORUM  
hominum docent, impias Statuas tol-  
lendas esse.

Ezechias dissipauit excelsa, contriuit statuas,  
Serpentem aeneum, quem fecerat Moses, quem ta-  
men Dominus fieri iusserat.

4. Regum 18.

Iosias templum purgauit à uarijs idolis. Mos-  
ses uitulum confregit. Horum & aliorum pio-  
rum Regum exemplo ac diuino mandato, quemli-  
bet Magistratum idolatrias & occasiones idola-  
trie, tollere oportet.

Epiphanius Episcopus Cypri, cum esset in  
Chanaan, & uenisset in Ecclesiam quandam, inue-  
nit uelum in foribus pendens depictum, habens  
imaginem uel Christi, uel sancti cuiusdam, iussit  
tolli, ut pauperem mortuum eò obuoluerent, affir-  
mans contra auctoritatem scripturarum esse, in  
Ecclesia Christi pendere hominis imaginem.

Beati, inquit Christus Lucae 8. qui audiunt  
uerbum: Non dixit, Qui ab imaginibus discunt  
Deum. Non iussit Apostolos imagines erigere, sed  
docere Euangelium. Item, in uerbis coenae ait: Hoc  
facite in mei commemorationem: Non ait, fabrica-  
te ac erigite imaginem Crucifixi in mei commemo-

B S rationem,

DE INVOCAT. VERI DEI,

rationem, &c. Quando quaeso id mandavit Christus, uel etiam Apostoli, ut ipsorum imagines in templis Christianorum pingerentur? Quando uiderunt nostri Pictores facies Apostolorum?

Ambrosius ad Rom. 1.

Quanta stulticia, hos se sapientes appellare, apud quos plus mortui possunt, quam uiui? à uiuo Deo recedentes, mortuis fauent.

Item super Iere. cap. 10.

Errorem deauratarum imaginum ad nos usque transiisse scribit, ut religionem in diuitijs arbitremur.

Clemens de imaginibus.

Quis quaeso iste honor Dei est, per lapideas & ligneas formas discurrere, & inanes atque inanimes figuras, tanquam numina uenerari, & hominem, in quo uerè imago Dei est, spernere?

Augustinus in Catalogo Hereseon, reprehendit quandam Marcellinam, quòd coluisset imagines Iesu & Pauli.

Item Tom. 1.

Reprehendit pictas imagines, & earum adoratores damnat. Intuitus enim imaginum intensus facit hominem haerere in imagine cogitationibus, non subuolare in imaginatum. Tam diu inhaeres imagini crucifixi, ut crucifixus euanescat, & solus

## ET VITANDIS IDOLIS.

¶ solus cum latronibus permaneat. Quicumque enim diu circa signum moratur, signatum amittit.

### FINIS.

**Q**uod autem Martinus Lutherus in annotationibus suis super 7. caput Deuteronomij, persequitur Imaginidas, hoc est, eos qui pro sua priuata autoritate & Satânica presumptione, sine mandato legitimi Magistratus, ui & manu imagines perdunt, Danicè, Billedes Stormere, non est intelligendum de ijs, qui sunt in potestate, uel uerbi, uel gladij constituti, quin illis liceat deprædicare superstitiosum cultum & abusum imaginum, his uerò pro sua publica autoritate etiam tollere imagines, ubi necessitas postulat, cum sint utriusq; tabulæ custodes, quantum attinet ad externam obseruationem. De ijs inquam, non scribit Lutherus, sed insectatur nunc uulgus ipsum, quod pro sua petulantia, contempta Magistratus autoritate, sæuit in ligna & lapides, nunc furiosos istos Concionatores, qui Vulgo gladios & secures ad imagines destruendas porrigunt & ministrant, quos omnes simul uocat Sanguinarios, Seditiosos & Homicidas. Sanguinarios, quia aliud in animo non habent, nisi cædes & strages. Seditiosos, quia contemptis Magistratibus, Imagines & Statuas priuato

## DE INVOCAT. VERI DEI,

priuato furore inuadunt, cum tamen nullum in Scriptura legatur exemplum, ubi Vulgus sine duce uel Magistratu, siue ordinario, siue à Deo dato, sustulerit imagines, ut in Gedion, Ezechia, Iosia & Ahab, cernere licet. Homicidas uocat, quia destructis imaginibus, pergunt etiam homines, hoc est, Magistratum interficere, sicut furiosi Anabaptistæ fecerunt, hoc nihil ad nostrum propositum facit. Nam Verbo deprædicandam cordium idololatricam, & imagines ac statuas communi consensu Magistratus propter abusum deponendas ac tollendas docemus. Et Ordinatio Regiæ Maiestatis iubet, impias imagines & statuas omnino tolli, propter idololatricam, &c. ut legis folio 38. Porro quid Lutherus reuera sentiat de imaginibus, subiungit in suis annotationibus, cum sic inquit: Quamquam & ego imagines non admodum amem, & uellem in templo non statui. Non quòd solum hoc spectem, quia adorentur, quòd rarius accidere puto, sed quòd fiducia operis in precio & specie earum ponitur, quasi in illo opere aliquid obsequij Deo præstetur, cum interim perdatur sumptus et totum quòd istis impenditur, in meliores usus pro fratrum necessitate impendendum. Aliàs, leui pictura imagines priuata in domo, non possum damnare, &c. Ex his ergo patet, neque Magistratum qui iubet tolli imagines, neque sinceros Euangelij Ministros, qui  
idolol



## ET VITANDIS IDOLIS.

idololatriam deprædicant, Imaginidas, seu Billed Stormere, à Luthero uocari, sed tantum Vulgus ipsum cum Phanaticis Spiritibus, quorum furores illic ordinè recitat, & illos ipsos censet è terra profligandos, ceu uerè sanguinarios & seditiosos.

Neq; quicquam uel ad imaginum picturas, uel ad statuarum sculpturas pertinet, quod Lutherus liberat & commendat Anthropomorphitas, ab alijs Hæreseos damnatos, propterea quòd de Deo loquerentur tanquam de homine, et tribuerent ei oculos, aures, brachia, quos Lutherus asserit immeritò damnatos esse, quòd dicerent, Deum habere oculos quibus aspiciat egenos, habere aures, quibus audiat orantes &c. Et scriptura passim hoc ipso genere sermonis utitur, ut Propheta scribunt, Deum sedentem in Solio. Et Esaias cap. 6. dicit, se uidisse Dominum in amplissima ueste. Quomodo .n. aliter homines inter homines de Deo loquantur, cum hæc nostra natura substantiã Spiritualem intelligere non possit? Vide Lutherũ in Annotationib. super primum caput Geneseos. Vide etiam Augustinum in libro de Essentia diuinitatis, quomodo scriptura humano quidem more, sed tamen figuraliter, de membris Dei loquatur, & quid per caput Dei, per capillos capitis eius, per oculos, aures &c. mysticè significetur. Nihil enim in his omnibus carnaliter de Deo, iuxta historiam sentiendum est.

## DE INVOCAT. VERI DEI,

est, sed omnia spiritualiter de eo intelligenda & confitenda sunt. Nam Deus nec in loco videtur, nec corporalibus oculis quaeritur, nec circumscriptur uisu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu, ut inquit Augustinus. Toto igitur coelo errant, qui hoc exemplum Augustini & Lutheri trahunt ad patrocinium impiarum imaginum & Statuarum.

Porro quod imagines dicuntur libri Laicorum, esto quod picturae de Christi incarnatione, natiuitate, tentatione, morte, resurrectione &c. prout haec historiae depictae sint in libello, quem Passionale uocant, fuerint aliquando libri Laicorum pro Catechumenis &c. Quid hoc ad impias imagines & Papisticas statuas in templis? Egregia scilicet imago Diui Petri gerentis in manibus clauas, nonne significat primatum Romanorum Pontificum? Quid obsecro Laici in hoc Libro speculentur & intueantur, an Apostulatum Petri? an Papam Romanum? scilicet. considera imaginem Iacobi, nonne Laicus statim in animo concipit impiam illam peregrinationem ad Compostellam, & alia loca? Nonne imago diuae Virginis exhibentis mamillas suas filio sedenti super arcum, impiorum Sanctorum intercessionem confirmat? Quid imago Gregorij Papae celebrantis priuatam Missam pro uiuis & defunctis, & sic de alijs? Absit.

## ET VITANDIS IDOLIS.

Absit, quòd tales imagines sint piorum Laicorum libri, in quibus tanquam in Speculo plusquam horrenda exempla, non ad æternam uitam, sed ad æternam mortem intueantur. Sint & maneat Libri impiorum Papistarum, qui talibus spectaculis mirum in modum delectantur, quibus dicendum est: Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus: sed ueniet hora, & nunc est, Christo sit gratia, quando ueri adoratores adorabunt patrem, non in monte, non in Templo, sed in Spiritu & ueritate. Spiritus est Deus, si corpus esset Deus (inquit Augustinus) Oportebat eum adorari in monte, quia corporeus est mons, oportebat eum adorari in templo, quia corporeum est templum. Sed Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in Spiritu & ueritate oportet adorare, Ioan. 4. & 1. Corin. 3. & 6. Templum Dei sanctum est, quod estis uos, inquit Paulus ad omnes Christianos. Præterea ad imaginem Dei factus est homo, id est, ut Deum intelligat, inuocet, celebret, sit iustus. Hunc suum cultorem & sacerdotem Deus non uult uiolari, sed potius defendi & adiuuari, ut Deum colat & inuocet. Estq; Deus ipse uindex uiolatæ imaginis, uiolati cultoris & Sacerdotis. Vide in Ioan. Commentar. de Lege naturæ.

FINIS,

ET VITAE DIS IDOLIS

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



AB 101963 (1)

ULB Halle

3

003 924 378



171 → 172





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

# COLAI

## DI COMMO

DE VERA INVO  
E DEL, ET DE  
NDIS IDOLIS.

TERO. VI.

DEVM tuum adoras  
ipfi soli seruies.



AE EXCVDEBANT  
DES PETRI  
EITZII.

NO 1557.